



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

Ad Divinvm Amorem Impetrandvm Votvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

A D
DIVINVM AMOREM
IMPETRANDVM
VOTVM.

DEus Opt. Max. qui Amor es substantialis, increatus, eternus, infinitus, & incomprehensibilis, Pater, Filius, & Spiritus S. unus identitate substantiae & amoris, fons omnis charitatis, & centrum à quo profiliunt, & in quod reflectuntur omnes sancti Amoris radij; Bonitas, & Majestas infinita; Ego vilissimus homuncio ad tuos pedes provolutus Te principium, finemq̄ rerum omnium adoro, ac unà profiteor, nihil mortalibus concessum majus atque gloriosius, quàm corda nostra Amori tuo, & linguas, ac calamos laudationi tuae humillimè consecrare, omnesq̄ ad tui cognitionem, Amoremq̄ votis provocare intensissimi: atque hunc ego scopum unicè laboribus meis propositum volo. Vis ut te amem plusquam me; vis ut vitæ potius, quàm amoris tui jacturam faciam? fac ut voluntati tuae in re tanti momenti perfectissimè obsequar: cor meum divino isto igne inflamma, & ab omnibus impediens expediri, atque in ejus medio vexillum tuae charitatis erige; cumq̄ ex Patrum sententia charitas sit animæ magnitudo, pulchritudo, & vita, fac ut charitate accensus, magnus coram te, pulcher, & plenus vitæ caelestis evadam. Huc spectat Filij tui Incarnatio, huc ejus labores

labores & doctrina, huc sacrae paginae, huc ad vitam aeternam
 praedestinatorum potissimi conatus, tanquam ad felicitatis
 nostrae ultimum complementum. Hanc pro me omnibusque, quos
 ut me ipsum amare voluisti, etiam atque etiam efflagito: da
 nobis Amorem tuum, & cum illo Te ipsum, ut assequamur fe-
 licitatem consummatam in hoc sitam, ut possideamus Te, &
 possideamur à Te possessione interminabili.



GUIL. BORO...
 S. Theol. Lic. Eccl. Cath.
 Can. & Lib. Cantor. Anv. ** 2

Facul-